QVÆSTIO MEDICA
IN PVBLICIS ANDIVM SCHOLIS DISCVTIENDA
DIE MARTIS DECIMA-SEPTIMA IANVARII HORA IX. MATVTINA.
M. MAVRICIO FROGER DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An Dysenteriæ purgatio?

15.

INTESTINVM ventriculo continuatum, continuitate vnum, contrario situ dispositum, substantiâ & vsu multiplex, omne patitur morbi genus, similare, organicum & commune. Intemperiem quippe omnem, calidam, propter quam θερμοκοίλιοι; frigidam, vnde cœliaci dicuntur ægrotantes; siccam, hecticarum febrium succedaneam; humidam, ἀπεψίας ventriculi sobolem. Organicum obstructionem, coarctationem, compressionem, coalescentiam, subsidentiam, prolapsum & nodum intestini. Commune inflammationem & vlcus. Triplicem hanc affectionem contra naturam triplex sequitur symptoma, actio læsa, ametria in excretis aut retentis, & affectus simplex. Ad ametriam in excretis pertinent alui profluuia, vt dysenteria quæ apprimè definitur cruenta & dolorifica deiectio ab intestinorum exulceratione, lienteria, diarrhæa, cœliacus affectus & syntecticus fluor, sunt celeres ac immoderatæ alui fluxiones absque vlcere ac dolore.

DYSENTERIÆ quatuor species existunt. Prima quâ floridus sanguis per circuitus exigitur, αἱματηρὰ dicta, ephebis, mutilatis, plethoricis & otiosis familiaris. Secunda quâ sanguis aquosus loturæ carnium similis per intestina vacuatur, ἡπατηρά. Tertia fit ex melancholico & nigro sanguine. Quarta & vera iunctam habet intestinorum vlcerationem. Hanc qui committit humor ex corruptis cibis in ventriculo & intestinis generatur, aut aliunde sobolescit, vt pituita salsa à cerebro, flaua bilis ab hepate cystique fellis, & atra bilis quæ abradendo & exasperando sedis & intestinorum vlcerifica esse solet, à toto venoso genere, vt in febribus continuis, ardentibus & malignis accidit. Bilis prouentum facit calidum temperamentum, victus & aer calefaciens. Pituita per austrinam tempestatem colligitur in cerebro, & per aquiloniam delabitur in aluum, atque dysenteriam suscitat. Demùm melancholicus humor autumnali tempore per prauam victus rationem, aut mentis ægritudines in liene aut aliâ corporis parte congeritur, mox istam calamitatem inuecturus. Quandoque humor malignâ inficitur qualitate, vnde dysenteria epidemica grassatur quæ multos eodem tempore prehendit & interficit, hanc pestem affectumque δυσθάνατον esse dicas.

AB his acribus & mordacibus humoribus abraditur primùm mucus & adeps oblinens intestina, dein ipsorum superficies, postmodùm interior membrana, vt tres sint dysenteriæ gradus, quorum vltimus confirmata censetur dysenteria. Vlceris diagnostica signa sunt deiectiones frequentes, paucæ, cruentæ, saniosæ, purulentæ, fœtidæ, dolorificæ, ac tenesmus. Ferè semper adest febris cum siti, vigilijs, capitis dolore, anxietate, atque, vbi maligna est, cum frequenti animi deliquio, palpitatione cordis, nausea, vomitu, singultu delirio. Si cruor & ramenta reliquis excrementis misceantur, vlcus est in tenuibus intestinis, sin supernatent, in crassioribus. Insuper si dolor sit supra vmbilicum acutior, illud est in tenuibus, sin verò infra & obtusior, in crassioribus, licet hoc signum fallax esse possit. Noxius humor suo se prodit colore flauo, aut nigro, aut albo & spumoso. Talibus signis dysenteria distinguitur ab alijs alui profluuijs, vt à lienteriâ, quâ cibus nihil aut parùm immutatus, à diarrhæâ, quâ bilis, aut pituita, aut melancholicus humor, à cœliacâ passione, quâ chylus, & à syntectico fluore, quo fusus adeps absque vlcere, sanguine ac torminibus excernitur.

OMNI quidem ætati calamitosa est dysenteria, maximè verò puerili ac senili. Inter anni tempestates, si hyems sicca sit & aquilonia, ver pluuiosum & australe, æstate dysenteria corripit mulieres & viros naturâ humidiores. Contrà si australis & pluuiosa sit hyems, ver siccum & aquilonium, dysenteria pituitosis mulieribus accidit, quæ, si grauidæ sint, abortiunt, aut citiùs pariunt, partusque ipsas aliquando liberat. Periculosius est vlcus in tenui quàm in crasso intestino, & in ieiuno quàm in quouis alio. Si dysenteriâ laboranti carunculæ deijciantur, mortiferum. Excrementa alui nigra pessima, si talia sint ab atrâ bile cæteris excrementis admixtâ. Vomitus biliosus, fastidiumque cibi mala sunt signa. Lienosis dysenteria prodest. Si intempestiuè supprimatur, vel in lateribus atque visceribus, vel in articulis abscessum facit.

DYSENTERIA sanatur diætâ, Chirurgiâ & Pharmaciâ. Victus esto refrigerans & astringens sine acrimoniâ, salsedine & aciditate. Sanguis repetitâ basilicæ venæ sectione reuellatur, nec ab eâ prohibeat ætas, æstas, hyems, grauiditas. Cacochymia purgetur sæpiùs cum rheo & myrobalanis. Detergeatur vlcus tenuis intestini assumptis quidem, crassi verò iniectis medicamentis. Siccetur & ad cicatricem perducatur astringentibus. Interim sedetur dolor anodynis, vt lacte. Prouocetur somnus etiam narcoticis, vt theriacâ recenti, pilulis de cynoglosso, syrupo papaueris albi, diacodio. Nec omittantur alexipharmaca, vt theriaca, mithridatium, confectio de hyacinth. & alia, vbi adest malignitas atque contagiosa est dysenteria. Valeant diuretica, procul hidrotica quæ suo insigni calore atque suâ permeabili λεπτομερίᾳ excalfaciunt, fundunt, secernunt. Absint denique vehementia cathartica, vt scammonium, colocynthis & ex his composita medicamenta, quæ ferociores reddunt humores & febrem adaugent. Sola conueniunt benigna, quæ adstringendo purgant. Paucis dicam. Omnibus morbis ex cacochymiâ debetur purgatio; dysenteria est morbus ex cacochymia.

Ergo Dysenteriæ purgatio.



Proponebat Andegaui, IONNES DV VAL Pontesianus, Anno R. S. H. M. DC. LI.

ANDEGAVI, Apud PETRVM AVRIL, Regis & Vniuersitatis Typographum.